



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Laicus si secundò vxorem duxerit, clericus non fiat. xxxviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Energumeni non solum non adsumendi sunt ad clerum, sed inueniendi ab officio remouendi. Cap. XXXIII.*

*Ex concil. Arausi. cap. 6.* **E**nergumeni non solum non adsumendi sunt ad vllm ordinem clericatus, sed etiam illi qui ordinati sunt, et imposito officio repellendi sunt.

*Vt nullus ex pœnitentibus ordinetur. Cap. XXXV.*

*Ex concil. Cartha. cap. 68.* **E**X pœnitentibus quamuis bonus, clericus non ordinatur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur à clero: quia se ordinationis tempore non prodidisse pœnitentem.

*De actoribus & procuratoribus si ordinari debeant. Cap. XXXVI.*

*Ex eodem cap. 9.* **M**agnus episcopus Astuagensis dixit: Quid dilectio videtur vestra, procuratores & actores etiam seu procuratores pupillorum si debeant ordinari? Gratus episcopus dixit: Si post deposita vniuersa & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint cõprobat in omnibus, debent & cõ laude cleri si postulatus fuerit, honore munerari. Si enim ante libertatem negociorum vel officiorum, ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, Ecclesia infamatur. Vniuersi dixerunt: Rectè omnia statuit sanctitas tua, ideoque nostra est quoque sententia.

*Vt de pœnitentibus nullus admittatur ad clerum. Caput XXXVII.*

*Ex concil. Toletan. 1. cap. 1* **I**tem placuit vt pœnitentes non admittantur ad clerum nisi tantum si necessitas aut vsus exegerit, inter cõfessionarios deputentur, vel inter lectores, ita vt Euangelia & Apostolum non legant. Si qui autè ante ordinati sunt subdiacones, inter subdiacones habeantur, ita vt manum non imponant, aut sacra contingant. Ex eo verò pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro vniuersis criminibus grauisimisque peccatis, publicam pœnitentiã gerens sub cilicio, diuino fuerit recõciliatus altaris.

*Laicus si secundo vxorem duxerit clericus non fiat. Caput XXXVIII.*

*Ex concil. Aurelia no. ca. 8.* **S**I quis de laicis post vxorem, aliam cuiuscunq; cõditionis cognouerit mulierem, in clerum nullatenus admittatur.